Πόθεν ζιζάνια;

SIVE,

CONCIO

DE

Hæresium Origine

Latine habita ad

Academicos Oxonienses,

12 Aprilis pro inchoando

TERMINO.

Adjicitur brevis refutatio *Tileni*.

Per Henricum Hickman, *S. Th. Bacc.*
& Collegii Magd. Socium.

Ὑμεῖς προγινώσκοντες φυλάσσεσθε, ἵνα μὴ τῇ τῶν ἀθέσμων πλάνῃ συναπαχθέντες, ἐκπέσητε ἀπὸ τοῦ ἰδίου στηριγμοῦ.
Αὐξάνετε δὲ ἐν χάριτι καὶ γνώσει τοῦ κυρίου ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ. 2 Pet. 3. 17, 18.

OXONIÆ:
Excudebat *A. Lichfield*, Acad. Typogr.
Impensis *Ed. Forrest*. 1659.

SPECTATISSIMO VIRO,

HENRICO LANGLEIO,

SS[æ] Th[æ] D[ri.] &

COLLEGII PEMBROCHIANI

IN

ACADEMIA *OXONIENSI*,

MAGISTRO VIGILANTISSIMO:

NEC NON SINGULIS EJUSDEM

COLLEGII SOCIIS,

PATRONIS SUIS OBSERVANDIS,

HANC QUALEMCUN-

QUE, QUESTIONI


EVANGELICÆ,

Πόθεν ζιζάνια,

ADAPTATAM RESPONSIONEM

L.M.Q. O.D.D.

H: HICKMAN.





Concio Latinè habita ad Academicos Oxonienses 12 Aprilis, 1659. *pro incho-ando termino.*

Matth. c. 13. v. 27. Κύριε, οὐχὶ καλὸν σπέρμα ἔσπειρας ἐν τῷ σῷ ἀγρῷ; πόθεν οὖν ἔχει τὰ ζιζάνια;

Domine, nonne bonum semen in agro tuo sevisti? unde ergo habet zizania?

Quæ accepistis verba, parabolica sunt: ita enim visum est beatissimo servatori, obscuriore, & tantum non ænigmatico, inter concionandum dicendi genere uti. Non modò quia Syris, maxime autem Palæstinis, familiare erat; sed partim ut Pharisæorum aures ambiguo & confuso sonitu feriret; partim ut suos excitaret, ad doctrinâ non cuivis obviam, aut faciem attentius expendendam. Nec fefellit eum

Ver. 38. spes: non enim citiùs domum redierat, quam peterent Discipuli, ut vellet eis edisserere parabolam zizaniorum. En vobis imaginem auditorum verè Christianorum: non puduit eos ignorantiam, quâ naturâ laboramus omnes profiteri, & profectùs causâ inquirere; neque tamen modestiæ obliti in publico obloquuntur, aut molestias ei inter prædicandum creant: quod utinam attenderent Anabaptistæ nostri, aliique phanatici, nescio quo nomine censendi. De Christi scopo nec infimi subsellii tyrunculi dubitaverint, modò ad antapodosin à v. 37. ad v. 44. factam oculos animumque intendant: eò nimirum collimat, ut palàm fiat, quamdiu in hoc mundo peregrinatur Ecclesia, bonis & sinceris in eâ permixtos fore malos & hypocritas. Veniet quidem dies in quo lolium a tritico separabitur; imò Christus simulac prodiit evangelium annunciaturus, dicitur habuisse ventilabrum in manu, quo aream suam repurgaret: at purgationi illi, quam per pios doctores inchoat, ultimo demũ judicio per Angelos extrema manus apponenda est; Qui ad extirpandum quicquid sibi displicet præpostere festinant, antevertunt quantum in se est diem judicii, & ereptum Angelis officium temerè

merè usurpant. Unde proclive est elicere plus æquo morosos esse, qui, quòd nusquam appareat absoluta puritas, tumultuosè ab ecclesiâ discedunt, vel importuno rigore eam evertunt ac perdunt: concessum interim bonis omnibus, quum infœlix lolium segeti succrescere, & steriles avenas agris dominari conspexerint, precibus eâ de re apud Deum conquiri: fecerunt illud servi patris familiâs, de quibus a principio audivistis, οὐχὶ καλὸν σπέρμα ἔσπειρας; πόθεν οὖν ἔχει τὰ ζιζάνια; Quæ verba primâ facie duplicem videntur exhibere quæstionem: priora tamen illa οὐχὶ καλὸν σπέρμα, &c. quum non sint dubitantis, sed vehementiùs affirmantis, pro quibus Latini dicerent, *Certè tu bonum semen sevisti*, aptior erit divisio, si didicamus duas esse commatis partes; quarum una appelletur τὸ δεδόμενον, altera τὸ ζητούμενον: ex utrisque duplex emergit thesis.

Prima, Fieri posse ut ager bonis seminibus consitus, zizaniis non ita multò post totus horreat.

Secunda, Quærendum esse servis, unde ager habeat zizania.

Priori, ut vestis detrahatur parabolica, ante omnia libet dispicere, 1. quid per

agrum. 2. Quid per bonum semen. 3. Quid per zizania intelligendum veniat.

Agrum mundum exponit Christus, vocem generaliorem Ecclesiæ (de quâ solâ exorsus fuerat sermonem) adaptans; quia non per solos Judeæ fines, sed omnes mundi plagas aratrum suum ducturus erat.

Per bonum semen denotantur οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας: non quidem promiscuum profitentium vulgus, quos tamen istâ periphrasi non dedignatur Spiritus *cap.* 8. *v.* 12. Sed ii demum qui ita sunt in Ecclesiâ, ut sint etiam ex Ecclesiâ, Unum corpus, unus Spiritus cum Christo facti.

Vox ζιζάνια origine Syriaca sit, (quod contendit *Martinius*) an Græca, ut dicantur ζιζάνια quasi σιτοϊζάνια, aut quasi σιτάνια, quod aliis placet, non erit operæpretium disquirere; cùm neminem latere existimem istoc vocabulo hic quidem loci significari omne impurum semen, segetem quovis modo vitians & adulterans, sive Christi ipsius verbis τοὺς υἱοὺς τοῦ πονηροῦ, id est, omnes, qui Christianismum professi, diaboli imitantur malitiam: filii autem isti nequam duum sunt generum. Alii puram professionem vitâ turpi coinquinant, Alii prava docent Po-

steriores vocantur οἱ ποιοῦντες τὴν ἀνομίαν, priores τὰ σκάνδαλα: neque enim ea vox tantum factis, sed & hominibus tribuitur c, 16. v. 23. Expositioni huic fidem facit Origines, lib. 5° adversus Celsum. Ἀληθῶς δὲ τοῦ σκανδάλου ὄνομα πολὺ ἐν τοῖς γράμμασι τύποις ἐστὶν ὅπερ εἰώθαμεν λέγειν περὶ τῶν διαστρεφόντων ὑπὸ τῆς ὑγιοῦς διδασκαλίας τοὺς ἁπλουστέρους καὶ εὐεξαπατήτους. *Paulus* conjungit *Rom.* 16. 17. διχοστασίας καὶ τὰ σκάνδαλα παρὰ τὴν διδαχήν: idemque quod Christus in Evangelio dixerat, ἀνάγκη ἐστὶν ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα, extulit 1 *Cor.* 11. 19. Δεῖ αἱρέσεις ἐν ὑμῖν εἶναι. Author quæstionum ad Orthodoxos αἱρέσεις ὁ Κύριος ἐν ταῖς ἑαυτοῦ παραβολαῖς ζιζάνια καλεῖ. Ut non dubium sit per ζιζάνια intelligendos esse omnes malos, speciatim Hæreticos seorsim abeuntes a veræ pietatis doctrina. Vnicus modo restat eximendus scrupulus; cum enim zizania dicantur filii maligni, bonum semen filii regni, hoc loco abusi sunt Manichæi, quo colorem saltem aliquem suo de duobus principiis figmento inducerent: sed isti nodo, si tamen nodo, duplicem adaptavit cuneum. *Isid: Pelens: lib.* 3. *Epist.* 107. ἑκάστην παραβολὴν πρὸς τὸ προκείμενον ἀναζωγραφητέον, καὶ οὐ πάντα κατὰ πάντα λεπτέον; non sunt

 omnia

omnia in parabolis ad vivum resecanda: &
ne obtentum quendam excogitâsse vide-
retur, addit insuper τὸ ἀποῤῥωγότερον, sc.
seminis appellationem, cùm ipsi Dei ver-
bo propriè conveniat, transferri ad eos
hoc loco, qui instar arvi ipsius seruntur,
propter seminis & eorum qui semen ex-
ceptum fovent contemperationem, &
quasi transelementationem: per semen
hoc fertili solo cordis credentium recep-
tum Christus in iis formatur, & ipsi vi-
cissim in Christo formãtur. Διὰ γὰρ τοῦτο καὶ τὸ
σπέρμα καταβάλλεται ἵνα ἐξομοιώσῃ τὸν ἄν-
θρωπον εἰς ἑαυτό. At non eadẽ fortassis falsæ
doctrinæ efficacia; audiatur ergo *Cyril: de
adoratione*, ζύμη πανουργίας εἰσδύουσα εἰς τὴν
καὶ καρδίαν ψυχήν τε καὶ σῶμα καὶ πνεῦμα πρὸς
ἰδίαν ὥσπερ ποιότητα μεταστοιχειοῖ. Et jam tan-
dem video me thesin hodiernæ demanda-
tam provinciæ velut incautum vobis ex-
hibuisse, quam amotis verborum involu-
cris sic concipite: *Fieri posse ut Ecclesia
Christi Hæresibus et hæreticis tota scate-
at.*

Initio quidem Ecclesia Christiana ma-
ximam partem constabat ex iis, qui pleni
erant spiritu sancto, aut certè spiritũ illum
jam jam expectabant: sed simulac defer-
buit prima illa dilectio, jam ipsis Apo-
stolorum

ſtolorum temporibus, multóque magis poſt, immiſcere ſe Chriſtianis cœperunt Nicolaitæ & Gnoſtici, ſpecialiter notati in Epiſt: Petri & Judæ, qui ſub ſpecie Evangelicæ libertatis ea docebant ἀδιάφορα eſſe quæ honeſtati naturali repugnarent. Idem ſingulis centuriis eveniſſe minimo aut nullo negotio evincam, ſi teſtibus Eccleſiaſticis annalib. vellem experiri. Sed quid attinet veterum monumenta evolvere? ſolam Eccleſiam Anglicanam intuemini: fallor, ni opinionum monſtra parturiverit, ad quæ vel demens Ægyptus obſtupeſcat: ſc. Heterodoxia ſuſurrare priùs ſolita, nec in publicum prodire, hodie ſuggeſtum ſcandere, & in Deum Chriſtumque ejus palàm debacchari, auſa eſt: hinc Sociniani omnia fidei myſteria rationis ſuæ decempedâ metiuntur; illinc Enthuſiaſtæ, neglectâ & inſuper habitâ ſcripturâ, ſpiritûs magiſterium faſtuoſiſſime obtendunt; hinc Arminiani divinæ gratiæ detrahunt, ut ſpecioſiùs velificentur humanæ libertati; illinc Antinomi zelum liberæ miſericordiæ prætexentes, Juſtificationem quandam ab æterno comminiſcuntur. Quid referam Hobbium, cœlo inviſum caput, nec Hæretici nomine dignandum? quid Clementem

Writerum, qui libro, cui titulum fecit, *fides divina*, infidelitati plus quam Judaicæ fenestram aperuit? quid tremulos, conjuratam non in religionem modò sed & omnem humanitatem turbam? certè vix est ut recitetis mihi fidei apicem, quem non fœdârunt controversiæ; aut religionis articulum, quem non vel subdolè suffoderit, vel plane diruerit novaturientium audacia.

Sed tempus est, ut inquiramus unde zizania. Tenendum 1° Deum non esse eorum authorem. Refert tamen *Augustinus* quosdam in ea opinione fuisse ut legem a *Mose* traditam damnârint, & Deum velut zizaniorum authorem oderint.

Nec eâdem hæresi, pro suâ mentiendi & maledicendi libidine, Genevenses gravare desinunt Jesuitæ & Remonstrantes. Verum hujus insanæ calumniæ dedecus & labes penes authores, vindicta penes Deum esto. transmarinis illis divina puritas toties dicta, picta, prædicata, ostentata, decantata est, ut loca recensere pigeat. Non negamus interim maximo Calvino in commentariis hujusmodi excidisse. *Quemadmodum Spiritu suo nos intus illuminat Deus, ut efficax sit apud nos doctrina sua, oculosq; & corda nobis aperit, ut illuc penetret: ita*

justo

justo judicio tradit in sensum reprobum, *quos exitio destinavit*, *ut clausis oculis & stupida mente*, *quasi fascinati Satanæ & ejus ministris se fallendos tradant*. Quo nomine si bonis illis viris blasphemiæ insimuletur, causam non video cur eandem infamiæ notam doctori gentium non inurant, qui tam exertè ait 2 *Thes*. 2. 10, 11. *propterea quod amorem Veritatis non receperunt*, *ut salvi fierent*, *ideò igitur Deus ejs mittet efficaciam erroris*, *ut ipsi credant mendacio*. & ad Rom. 1. 28. *Sicut non visum est eis Deum in agnitione retinere*, *ita tradidit eos Deus in mentem judicij expertem*, *ut facerent quæ minimè conveniebant*; Et ut maximè hac de re tacerent sacra Orcaula, ecquis vestrum legat quamPhilosophi ad unum omnes ab uno summo Numine ad prodigiosa nugamenta defecerint, quin ultricibus tenebris eorum mentes occæcatas fateatur? Ethnicos autem si spiritu vertiginis percusserit Deus; quid mirum si Christianis flagitiosissimis incutiat amentiam, obduret corda, eorumq; animos spiritu soporis inebriet? Duplici verò de causa Hæreticis ftæna laxata memorem; Vna, ut constet quinam sint probati, quam non obscure innuebat Apost. loco priùs lauda- 1.Cor.11.

to: Altera, ut electi, qui de fide sua haud parum certi sunt, dubitando evadant certissimi. Veritas enim & clarius renitescit, & fortius retinetur, dum quæ fides prius docuerat, hæc postea examinatio firmat.

Affirmativè si agendum sit, a triplici fonte omnes errores videntur profluere.

Seducentium astutia, sedulitate, impudentia.

Seductorum ignorantia, impietate.

Pastorum desidia & supina oscitantia.

De singulis ubi eâ quâ par est brevitate differuero, nihil restabit aliud, nisi ut omnia Auditorum usui per applicationem (quam vocant) attemperentur.

*S*educentium astutia tanta est, quantam mentibus neutiquam concipere, nedum verbis efferre valeatis: eam tamen cùm quadantenus adumbrare satagerem, peropportunè mihi in mentem venit *v.* 14. *cap.* 4. ad *Eph.* in quo tribus verbis Hæreticorum fallax artificium mirifice depingit Apostolus. Κυβείᾳ, πανουργίᾳ, μεθοδείᾳ τῆς πλάνης. Κυβείας, tanquam speciei omnium notissimæ & vulgatissimæ, nomine, ludos omnes talorum, chartarum, calculorum, rotæ versatilis, omnesque id genus callido veteratorum consilio excogitatos

tos & usurpatos ad res alienas involandas hoc loco intelligendos existimo. Illa κυβεία falsorum doctorum per πανουργίαν declaratur, illa πανουργία quasi definitur μεθοδεία τῆς πλάνης; sic enim & Scholiastes græcus locum exponit, κυβείαν πανουργίαν καλεῖ, inquiens, Hæretici sunt πανοῦργοι πρὸς τὸ εὑρεῖν μέθοδον καὶ πρόφασιν πλάνης, πάντα πρὸς τὸ ἀπατῆσαι μηχανώμενοι. Quod si distinctiùs quæratur, quâ methodo utantur πανοῦργοι κυβείας, ut rudioribus & incautis imponant.

10. Suadent magistratui tolerantiam omnium opinionum, ne qua vis Conscientiis tenerioribus inferatur: Nihil in ore crebrius Arianis, Donatistis, Anabaptistis, prophetandi libertate, qui tamen ipsi rerum potiti in contra sentientes barbarè desæviebant, testibus *Athanasio*, *Augustino*, *Optato*, *Sleidano*. Quin intersit pacis Ecclesiæ in levioribus dissidentes ferri nullus dubito. Odi si quis alius tyrannidem Papalem, nec facilè dixerim de quovis Hæretico, simpliciter impossibile esse, ut stante assensu talis erroris servetur. Quis enim ego qui limites figam generosæ Dei misericordiæ? At illud satagunt Hæresiarchæ ut Ecclesiæ nullos suæ communionis limites figant, ac septo disciplinæ

muniant

muniant quasi actum esset de Christianâ charitate, ni κοινωνίας δεξιὰ omnibus detur, qui dogmata simpliciter necessaria non respuerint. Remonstrantium verba sunt, *Theologiæ ipsius animam suffocari atq; elidi, ubi decisiones fiunt, quibus constanter firmiterque hærendum est.* Expectant scilicet uberem errorem messem, ubi semen spargere, quod libet id demum licet.

2°. Ministros Evangelii Magnatum odio, plebis uerò ludibrio exponunt. Qui enim radices agat doctrina, quum doctores ipsi cœperunt esse despicatui? ipsa salus non servet eas oves, quæ æquè metuunt a Pastoribus & Lupis.

Tribus autem modis hoc ministrorum vilipendium contingit.

1°. Si vulgaribus ingeniis concionandi pruritus affricetur, quasi unctio Spiritus non modò omnia doceret, sed & omnes doctores efficeret. *Numb.* 16. *v.* 4. Adversus *Mosen* & *Aaronem* dicunt *Korah*, *Dathan*, & *Abiram*, *satis esto vobis, nam totus hic cœtus, hi omnes sancti sunt, & inter eos est Jehovah: effertis vos super congregationem Jehovæ.* Sed Arrogantiæ suæ pœnas luebant, descendentes vivi in sepulchrum; & tamen eadem blaterare non verentur Remonstrantes, Anabaptistæ, Weigeliani, Socini-

Sociniani, quorum viculâ utinam non a-rarent è nostratibus milites quidam, prius imperitorum magistri, quam doctorum discipuli: imò utinam in idem saxum non impingerent juniores Academici, *qui tanta charitatis sunt, ut ante effundere quàm infundi velint, loqui quàm audire paratiores, & prompti docere quod nunquam didicerunt, Si saperent (judice* Bernardo) *conchas se exhiberent, non canales.* Vos quidem magistros abundare oportet præceptis institutisque Philosophiæ: perpendite interim, an toties concionandum sit non præeunte humanâ vocatione; nullam certè talem consuetudinem habuit primitiva Ecclesia, nullâ præsens Presbyterianorũ, nullâ Ecclesiæ Independẽtes in novâ Angliâ militantes, saltẽ si *Johanni Nortono*, viro apprime docto fides, cujus hæc sunt verba. "*Institutum "aliquod Christi ordinans fratrem privatum, nullo gaudentem munere Ecclesiastico, habere ordinariam, & statis licet occasionaliter vicibus, fixam verbum prædicandi potestatem coram toto cœtu in Ecclesiâ, sufficienti ministerio instructâ, nondum in Scriptura didicimus, nedum credimus.* Ref. ad Apol. pag. 124

2. Hâc si parum feliciter succedant viâ, aliam ineunt, scilicet ordinationem, quâ gaudent sui ævi concionatores, in jus vocant,

cant, & tanquam Antichristianam & nullam damnant. Quantum facessèrent negotii Apostolo Paulo hujusmodi vitilitigatores, nemo vestrûm qui epistolam ad *Cor*: priorem legerit, nescit: inde extorta ei Apologia, etiam apud eos qui non alium in Christo Patrem agnoscerent, nobis quoque Deo gratiæ nunquam defuêrunt ministerii sigilla, ad partes tamen vocamur à Romanensibus, eò quòd non, à Sectariis verò eò quòd, a Pontifice derivata fuerit in primos reformatores Potestas. Et, quod nollem, rigidiores quidam Prælatici, qui Calvinum non nôrunt, ordinationem nostram elevant, quia facta sit per impositionem manuum Presbyterii, quæ tamen olim vel ad Episcopum creandum sufficiebat: aut siqui nos ministros fateantur, schismatis tamen postulant, & hæc præjudicia tam altè descenderunt in animos exulceratos, ut nullus vel excusationi vel veniæ locus nobis apud illos sit relictus; tantúmque odium nostri cœpit elusas mentes, ut Concionibus & Sacramentis nostris pollui se putent & conscelerari.

3. In potestatem ecclesiasticam impotenter insurgunt; hinc natæ illiberales calumniæ de ædificando imperium in imperio,

perio, de excommunicationis tyrannide, de temerè & nullo nostro jure usurpatis clavibus regni cælorum. Istam in cleritos fabam primus enormi sane audaciâ cudebat Erastus; principibus credo ut placerent quas fecisset fabulas; quasi Magistratui non satis sua constaret authoritas, si abigantur ex Domini familia, quorum è turpitudine ad Christianum nomen infamia redundaret. Sed facile ignoscimus Erasto in sua arte tam turpiter hallucinanti, ut crocum metallorum salvâ Conscientiâ quenquam *ministrare* posse negaverit, si de excommunicatione vomitu ecclesiastico minus rectè senserit. Sciant interim ejusdem farinæ Bambaliones, arma militiæ *nostra non esse carnalia, sed spiritualia, divinitùs valida ad destruendas munitiones, & ratiocinationes evertendas, &c.* 2 Cor. 10.

Tertiũ artificiũ statuo se suosque omnes efferre, doctrinasq; suas spiritui sancto acceptas referre: notũ illud, Tertullianũ postquam in Montani partes abiisset, suos asseclas spirituales appellâsse, reliquos omnes carnales & ψυχικούς. Basilidis de suis symmistis loquentis ea apud Epiphanium verba sunt, ἡμεῖς ἐσμὲν ἄνθρωποι, οἱ δὲ ἄλλοι κύνες καὶ ὕες· Papistis Scholastici doctores 3.

audiunt *Seraphici, Angelici, subtiles, irrefragabiles*; imò inter eos non nemo dicere sustinuit nostrorum paucos dedi studiis, 'eósque pauculos qui deduntur, paucis hujusce tantum temporis quæstionibus incumbere, atq; hoc ita leviter, ut vel cum plebeis catholicis colloquia reformidemus, aut si quando congrediamur, vulgus Catholicorum nostris posse quibuscunque argumentis occurrere, etiam in rem nostrã plura quàm valeamus ipsi dicere: quantùm hodierna societas Jesu intumescat, una Bonaldi vox testabitur: 'jungantur in unum dies cum nocte, lux cum tenebris, calidum cum frigido, sanitas cum morbo, vita cum morte & erit tum spes aliqua, posse in caput Jesuitæ Hæresin cadere! Paracelsus Hæretico-medicus, medico-hæreticus *stultissimum occipitii sui pilum plus scire gloriabatur, quam omnes Galeni sectatores, et ipsius barbam plus experimentorum habere, quam omnes Academias*. Weigeliani autem, qui Paracelso ortum suum debent & incunabula, quamvis ea conscribillent, quæ sani sincipitis esse insanus negaret Orestes, se tamen solos spiritu repleri jactitant, nos veró miseros emortuam & occidentem literam adhuc sectari: nec nihil proficiunt

Vid: Collo. Rai. prope initium.

Apol. c. 3.

unt hâc suâ arrogantia. Quamvis enim exertè moneat Apostolus, non esse omni spiritui credendum: imperiti tamen, ad solum honorifici tituli strepitum attoniti, de re ipsa inquirere non audent.

4. Quartum artificium in vocibus situm est: ὑπέρογκα τῆς ματαιότητος φθεγγόμενοι. *Summæ vanitatis plena loquentes inescant qui vere effugerant eos, qui in errore versantur*, ait Petrus. Hilarius vero de Arrianis, "*Confusis permixtisque verbis* "*veritatem frequentissimè eludunt, et in*"*cautorum aures communium vocabulorum* "*sono capiunt.* "*Sic verba temperant, sic* "*ordinem vertunt, et ambigua quæque con*"*cinnant, ut et nostram et adversariorum* "*confessionem teneant, ut aliter Hæreticus,* "*aliter Catholicus audiat.* Plura de hac methodo qui velit, Calvinum is adeat adversus Libertinos, cujus verba recitare non libet, ne non tam testimonium proferre, quam satyram scribere viderer.

Hieronimus de Origenistis, Epist. 61.

5°. Suarum opinionum systema & compagem in medium afferre detrectant. Hoc artificium in Remonstrantibus experta est synodus Dordrecti habita, quin & Fratribus Dissentientibus nullam extorqueri posse regiminis sui formulam non

uno loco conqueruntur Theologi Westmon: quo jure, quâve injuriâ viderint alii. Basilidem certe istum quem prius nigro carbone notavi dogmata suâ celâsse locuples testis est *Epiphanius*: nimirum qui nihil prius aut antiquius habent, quam Auditores comparare, iis varianda est sententia prout suorum palato experientur maxime arridere. Hinc annuæ & menstruæ fides.

2°. Hæreses seducentium sedulitati & labori verè improbo progressum suum debent. Neque enim ea unquam erat Ecclesiæ felicitas ut non plura facerent heterodoxi propter cruciantem Diabolum, quam facerent Orthodoxi propter redimentem servatorem. Nos quibus id negotii datum a cœlesti patre animas ut servemus, *stertimus indomitum, quod despumare falernum* Sufficiat—Surgentibus interim de nocte latronibus animas ut jugulent. Pharisæos circumivisse mare & aridam, ut facerent unum Proselytum affirmat Evangelista 23 *Mat.* 15. Et quis vestrum non obstupescat? ad prolixa Jesuitarum volumina eam in finē ab iis elaborata ut Pontifici impio ac detestabili subpalparent: istius furfuris homines pene dixerim, Dæmonis æmulos, qui noctes diesque obambulat

ambulat quærens quem absorbeat. Omnem movent lapidem, omnem induunt personam, & quos rationum momentis non vincunt: importunitate tamen suâ superant facilè, & captivos ducunt.

3°. Non parum proficiunt Hæresiarchæ caninâ suâ impudentiâ, frons illis exanguis ruborem dedidicit & argumenta, quibus non sunt respondendo contemnunt. Vere *Athanasius* vertente *Petro Nanno*: " *Haretici ubique refutati, declaratique nullius scientiæ esse; erubescere tamen nequaquam possunt: Sed quemadmodum in fabulis Ethnicorum celebrata Hydra, sublatis prioribus serpentibus aliisque pullulantibus, pervicaciter contendebat novo semper objectu anguium contra eum qui ipsi suo serpentes tollebat: ita quoque isti execrabiles homines dejecti ab illis quæ objiciebant, alias reperiunt stultas controversias, et quasi veritatem hostem haberent, comminiscuntur nova, ut ita se ma-*

Orat. 4. contra Arian.

ἰδοὺ ἐπὶ πᾶσιν ἐλεγχόμενοι καὶ δικνύμενοι πάσης συνέσεως ἔρημοι, οὐκ αἰσχύνονται· ἀλλ' ὥσπερ ἡ λεγομένη παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἐν μύθοις ὕδρα, τὸ θηρίον, ἀναιρουμένων τῶν προτέρων ὄφεων ὤδινεν ἑτέρους ὄφεις φιλονεικοῦσα πρὸς τὸν ἀναιροῦντα τῇ τῶν ἑτέρων προβολῇ· τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ οἱ θεομάχοι καὶ οἱ θεοστυγεῖς, ὥσπερ ὕδραι, τὴν ψυχὴν πίπτοντες ἐφ' οἷς προβάλλονται ἄλλας ἐρευνήσαντες ἰουδαϊκὰς καὶ μωρὰς ἑαυτοῖς ἐκζητήσεις· καὶ ὡς πρὸς ἔχθραν τὴν ἀλή-

θειαν ἐπινοοῦσι καινότερα, ὅπως μόνον ἑαυτοὺς διὰ πάντων χριστομάχους ἐπιδείξωσι· μετὰ γὰρ τοὺς τοσούτους καὶ αὐτῶν ἐλέγχους, ἐφ' οἷς καὶ ὁ διάβολος αὐτὸς ὁ τούτων πατὴρ ἐντραπεὶς ἂν ἀπῆλθεν ὀπίσω, ἀπὸ στρεβλῆς τῆς καρδίας αὐτῶν ἐπινοοῦντες γογγύζουσι, καὶ τοῖς μὲν ψιθυρίζουσι, τοῖς δὲ ὡς κώνωπες περιβομβοῦσι.

" *gis Christi perduelles et* " *oppugnatores declarant:* " *quippe qui post tot refutationes, quibus vel Diabolus ipse horum pater rejectus confususque retro abiisset, rursum ex perverso corde nova alia cominiscuntur, et his quidem admurmurant, istis verò insusurrant, alios rursum veluti culices bombo circumstrepunt.*

Sequitur secundum causarum genus, ab eorum qui seducuntur partim ignorantia, partim impietate accersendum. Et vulgus sanè Christianorum in tantâ versatur inscitiâ, ut non magis mirer eos labi, errare, decipi, quàm nubes pluviâ vacuas huc illuc ventis violentioribus exagitari. Ludibrium fluctibus debeant, & fidei naufragium faciant necessum est, qui in pelago agentes omni destituuntur rationis saburrâ; præsertim cum pseudo-catholici ignorantiam & fidem implicitam adeo non damnent, ut laudent etiam, & ad salutem sufficere deprædicent. Gregorius de Valentiâ memoriæ prodidit, Mercatorem quendam Placentinum secum sic sta-

statuisse; "velle se Pontificiam potius
" quam Lutheranam Religionem ample-
" cti, ob id imprimis, quia illic compen-
" dio quodam discere posset veritatem: vi-
" delicet, si ait quod ait Pontifex, negat
" quod negat Pontifex. Hic vero, si Lu-
" theranus vellet fieri, Catechismus dis-
" cendus & scriptura scrutanda esset,
" quod equidē facere non posset, cùm po-
" tius Italicæ naves, & transmarinas mer-
" ces ei investigandæ essent, Addit Jesuita,
*Deum omninò nil habiturum quod in tremen-
do illo judicio ei opponat.* Scilicet ministri
Christi conscientiis peccatorum flammas
injiciunt, & auriculas plus nimio molles
mordaciori veritate radunt, pseudo-pro-
phetæ iisdem in immunditie sua adblandi-
untur. Consulite Academici Hæresiogra-
phos, qua veteres, qua recentiores, fallor
ni omnis error ad id compositus videatur,
ut ad corruptorum hominum salivam face-
ret. Mitto Judæos, Messiam carnem te-
nus florentissimum præstolantes. Prætereo
Gnosticos, qui postquam se impudicis am-
plexibus polluissent,, Venerem suam lon-
gè turpissimam esse docuerunt μυστικὴν κοι-
νωνίαν. Taceo Jesuitas, quorum mysteri-
um iniquitatis revelavit non ita pridem
Jansenista. Quid quæso humanæ superbiæ
gratius

Analys. de Eccl. p.205.& 207.

gratius excogitare possint, vel Sociniani, quàm rationem humanam in ipsius fidei rebus normam statuere, vel Arminiani, quàm libero arbitrio in negotio salutis proram puppimq; assignare. Quin & Prælatici nuperi tanto apparatu sensus exteriores demulcebant, ac si id unum egissent, ut reducto in ecclesiam Judaismo simplicitas Evangelii evilesceret. Pastores amabant dici sacerdotes, struebantur altaria satis superque magnifica, sed quorum sacrificia erant longe puriora Christi membra. Ornabantur fenestræ imaginibus Dei, verâ interim Dei imagine, scilicet sanctitate, sub odioso Puritanismi titulo misere vapulante: parum morabantur *οἱ προεστῶτες* quam squalerēt vitiis Presbyteri, modo vestibus saltem albescerent: majus habebatur crimen infulis & apicibus, quam diei Dominicæ jus divinū denegare, gravius flagitium ad nomen Jesu inter legēda Evāgelia non flexisse genua, quam per servatoris vulnera in nugacibus colloquiis dejerasse. Durius luebant Professores sine nugis Ceremoniarum sincerius cultam Divinitatē, quam luerent profani nebulones quotidianam ebrietatem aut frequens Adulterium.

3. Quod errores longe lateque propagentur in causa sunt Pastores *male, aliud,*

nihil

nihil agentes; zizania super seminata sunt, ἐν τῷ καθεύδειν τοὺς ἀνθρώπους. Quibus verbis etsi nullus dubitem Christum tantùm significare voluisse, Diabolum occultè & nemine advertente suas partes egisse: omnes tamen veteres, homines dormientes, Episcopos, eosque qui regendæ Ecclesiæ curam habent, interpretantur; in eandem sententiam concedit Glossa interlinearis. dormiunt autem prælati (annotante Gorrano) tripliciter; *vel cum torpent inertia, vel cum resolvuntur lascivia, vel cum premuntur ignorantia sive culpa*: è quibus ansam arripuisse Satanæ ministros, utinam Ecclesia Anglicana non ita nimis attestaretur. Fuêre (quod probe meministis) illa tempora, cum sacris ordinibus initiati non odorem vitæ ad vitam spirarent in pulpitis, sed in popinis crapulam & teterrimos fumos exhalarent, homines in ventrem proni & libidinum mancipia. Siqui erant magis sicci & sobrij, ii vel cura rei familiaris, vel négotiis secularibus impliciti concionibus neutiquam vacabant; aut si forte quater per Annum rostra conscenderent, ea effutiebant quæ viris cordatis gemitus & suspiria, lascivientibus ingeniis risum plausumque extorquerent. Nemo satis pro famâ peroravit, qui Calvinum

vinum non lancinaret, aut effingeret sibi Puritanum. Non eo inficias per septendecem plus minus novissime elapsos annos plures habitas Conciones, sed de Rege & Parliamento potius, quam de fide & resipiscentia: & certe nescio quo malo fato accidat, sed etiamnum accidit, ut quotiescunque excurritur in Regimen aliquod ecclesiasticum nostræ opinioni per omnia non congruum, vis ingenii dicentes incendat; e contra, quum detonandum sit in Avaritiam, Injustitiam, Sacrilegium, Perjurium, omnis animi motus deficiat & plane flaccescat Oratio. sc. hoc est quod Ithacus velit, & magno mercentur Achivi; etenim (quod in diverbium abiit apud Erasm.) *dum pastores odia exercent, lupus intrat ovile.*

Hæc de triplici errorum fonte dicta sunto: quæ cùm ita sint, multa sponte sese mihi ingerunt corollaria practica, quæ omnia lubens prosequerer, ni suborituri vobis tædii metus sufflaminaret. Vnum attigisse non pigebit. Hortandi à me estis Prophetarum filii, Prophetæ ipsi, utrique simul.
10. Juniores hortandi estis, ut sedulò vobis caveatis ab hæresibus, à quibus immunes præstat non Philosophia Peripatetica, sed sola Christi in cordibus effusa gratia,

gratia. Meliùs *pro vobis respondebit* bona conscientia, quàm decem *Aristoteles*. Non est quod multum metuat a deceptoribus, qui sanctimoniæ nuntium non remisit. Nequè enim valdè periclitatur veritas, ubi non periit aut elanguit Pietas. Sciscitanti cuidam, quid ita in oblongos capillos non inveheretur, respondisse fertur Johannes Theologus (Doddium intelligo) *Se ista prædicaturum, quæ generandæ fidei apta essent, eâ ingenitâ Auditores non ulteriùs crines submissuros.* gravissima sanè responsio, quæque spiritum tanti viri redolebat. Aversatur enim nova Creatura id genus muliebres Vanitates, aversatur eadem malesana dogmata. Nec est alia certior regula probandi Spiritus, (Scripturam si excipiatis) quam communis sensus fidelium. Liceat mihi illud unum impetrare, ut singulis noctibus facto severiori examine in vos descendatis; ego securus fuero nunquam vobis persuasuros vel Pelagianos, *non dari Peccatum Originale*; vel Pontificios *opera nostra esse meritoria*; vel Remonstrantes *gratiam Conversionis non determinare voluntatem*.

2°. Vos veneranda capita, virique gravissimi, monendi estis unum atque alterum; & illud imprimis ut refutandis hæresibus

resibus oleum operamque impendatis. Sentiant Romanenses non deesse Oxonio Jewellos, Humphredos, Abbotos, Tuissios aliosque quorum vel nomina reformidant. Sentiant malevoli, qui solas conciones nos meditari mentiuntur adhuc in Academiâ litari, tum Philosophiæ, tum Theologiæ Polemicæ: facilis largior ecclesiam Christi nihil illustrius habere ordine prædicantium, est enim *stultitia prædicationis sapientia Dei et potentia ad salutem*. Desinant interim populares Concionatores sese acuere contra velitationes Scholasticas ni velint irrumpentibus in vineam Domini ferarum instar Hæreticis in prædam abire veritatem. Sciant differendi artem neminem habere inimicum præter ignorantem. Sciant non esse aliam ad Papismum imò Atheismum faciliorem viam quam Dialecticæ contemptum. Dictum erat a non nemine cùm in procinctu starent Farellus & Salnerius è *sacro* codice contra fidem Papistarum dimicaturi, *si disputetur, totum nostrum mysterium destruetur*. Dicam ego, si non disputetur, totum illud mysterium denuo reviviscet. Habuerũt Romani quos Campi-doctores vocabant, quorum erat ut Tyrones condo cesfacerent, arma tractare, missilia torquere,

Scul. Ann. Decad. 2. p. 89.

castra

castra munire, fossam ducere, sudes figere, solem pulveremque ferre, inter se ad modum justæ pugnæ concurrere, & quæcumque evenire in acie atque præliis possunt in campestri meditatione prænoscere. Vestrûm, Præfecti Collegiorum, Tutoresque, est illud munus, *Hoc agite*, per viscera Jesu Christi *hoc agite*, ut ingenia, quæ invenistis Grammatica, relinquatis Philosophica, ne in alium orbem deferri videantur, quoties cum vaferrimis Jesuitis manus conserendæ sunt. Habeatur læsæ disciplinæ, violati juramenti reus, qui exercitiis non interfuerit: pudeat quemvis in sociorum numerum cooptare, qui non fuerit tam subacti ingenii quam vitæ integerrimæ. Hæc eo lubentius urgeo quod videam ad audiendas quidem conciones frequentem convenire juventutem Academicam, progymnasmata interim literaria tum inter privatos Collegiorum parietes tum in Scholis publicis susque deque habere, cui malo ni mature occurratur, ad tibicinem illico mittamus oportet & pollinctorem, qui Orthodoxiæ omni funus faciat, & cum eâ pietatem quoque efferat ac condat.

Dein monendi estis verbis Apostoli ut *observetis dissidiorum et offendiculorum authores*

thores contra Doctrinam quam didicistis et declinetis ab iis. Quicquid contra oggannīant homines ad corrupti seculi genium compositi, temporibus Apostolicis hæreticos & prophanos eadem expectavit pœna, idem dedecus, tradidit Satanæ Corinthium incestuosum Paulus: eidem supplicio ob denegatam resurrectionem Hymænæū & Philetum devovebat idem; utramque Phrasin ad excommunicationem refero, cum quâ tamen certam carnis vexationem conjunctam fuisse non diffiteor. Ea excommunicatio cum hodiè non obtineat, seductores saltem familiari consortio amandemus, ut eos pudore suffusos suæ Heterodoxiæ pœnitere incipiat. Siquis venit ad vos & aliam doctrinam adfert ne recipite eum, imò nec *ave* ei dicite, qui enim dicit ei *ave* communicat operibus ejus malis 2 *Epist. Joh.* 10. 11. Ecce tantum non communia humanitatis jura Hæterodoxis deneganda præcipit, quod præceptum si minus apud vos valeat, moveat saltem tanti viri exemplum Cerinthum eo studio declinantis, ut nolit communi cum eo Balneo gaudere, referente Irenæo apud Euseb. lib. 4. κεφ ιδ' qui etiam testatur Polycarpum Marcioni occurrenti aliquando sibi & dicenti ἐπιγίνωσκε ἡμᾶς respondisse

ἐπι-

ἐπιγινώσκω σε τὸν πρωτότοκον τοῦ Σατανᾶ. Τοσαύτην (ut graviter monet idem author) οἱ Ἀπόστολοι καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτῶν ἔσχον εὐλάβειαν, πρὸς τὸ μηδὲ μέχρι λόγου κοινωνεῖν τινὶ τῶν παραχαραττόντων τὴν ἀλήθειαν. Περιτρέπτικον claudant illa Ignatii ad Philad: verba, dicam, an tonitrua, εἴ τις χίζοντι ἀπὸ τῆς ἀληθείας ἀκολουθεῖ, βασιλείαν τοῦ Θεοῦ οὐ κληρονομήσει· καὶ εἴ τις οὐκ ἀφίσταται τοῦ ψευδολόγου κήρυκος, εἰς γέενναν κατακριθήσεται, οὔτε γὰρ εὐσεβῶν ἀφίστασθαι χρὴ, οὔτε τοῖς δυσσεβέσι συγκεῖσθαι.

3° Monendi hortandique estis omnes Deum pro Regibus omnibusque in eminentiâ constitutis assiduis precibus fatigare, ut tandem officii sui memores velint in Hæreticorum Antesignanos severius animadvertere: Laudantur quæ in purgandâ ecclesiâ a Davide, Solomone, Asa, Jehoshaphato aliisque Regibus peracta sunt. Addo in libro Judicum cultus Idololatrici impune præstiti iterum atque iterum caussam assignari hanc, quod nullus istis diebus fuerit Rex in Israele, quæ quamvis satis evincant evaginandum esse justitiæ gladium in Idololatras, agedum tamen eidem opinioni robur & lucem fœneremur è verbis Jobi paulò disertioribus, *Job* 31. 26, 27, 28. *Si aspiciendo lucem cum splenderet*

deret aut lunam, &c. *pellectus est in occulto animus & osculatum est os meum &c. etiam hoc fuisset iniquitas a judicibus animadvertenda, nam abnegassem Deum fortem supernè.* Erit fortè qui hasce sagittas è pharetra veteris instrumenti depromptas objiciat, cui, quamvis omnem absurditatem superet, vitia moralia non esse ejusdem demeriti inter Judæos & Christianos, ea ex epist. Paulinis regero constitutos esse magistratus ut terrori sint malis operibus, *Rom.* 13. 3. Hæreses autem inter opera Carnis recenseri, *Gal.* 5. 20. è quibus præmissis qualis inferri debeat conclusio Dialecticarum aurium judicium esto. Nec obstat parabola, quâ inhibetur servis ne colligant zizania: a principio enim monuimus per zizania non solos Hæreticos, sed omnes homines malos indigitari. Homicidas autem & fures è medio non tollendos nemo dixerit cui sanguinis ingenui vel gutta superest. Non absolutè prohibet Christus evelli zizania, sed tum demum cum periculum est, ne unà cum lolio frumentum evellatur. *Præmonet Dominus* (ait Hieronimus) *ne ubi quid ambiguum est citò sententiam proferamus, sed Deo Judici terminum reservemus, ut cum dies Judicii venerit, ille non suspicionem criminis,*

nis, sed manifestum reatum de sanctorum cœtu ejiciat. Refert Camerarius part. 1. succisiv. cap. 78. pag. 262. Quod Solimannus Sultanus, cum a Muphthi (qui est Turcarum Pontifex Maximus) & Bassis admoneretur ut diversos ritus sequentes ad Musulmanizandum cogere velit, forte ex fenestrâ in hortum variis floribus simul enatis decoratum conspiciens, dixerit *quemadmodum ista varietas herbarum* ac *florum non solum nihil obest, sed mirifice oculos et sensus recreat, sic in imperio meo diversa fides et religio potius usui est quam oneri.* At alia mens Constantino, in Epistolâ ad Ecclesias scriptâ post Synodum Nicænam. *Putavi*, inquit, *mihi ante omnia in id enitendum esse*, ut *in Ecclesiâ fides una, sincera charitas*, & *religio erga deum omnium auctorem nusquam discrepans observetur.* Socr. lib. 2. Alia Imperatori Justiniano cuius illa extat vox heroica, Novel. 3. *non minor mihi cura est horum, quæ sanctissimis Ecclesiis* prosunt, *quam meæ ipsius animæ.* Alia Leoni qui sic *Res humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi, quæ ad divinam confessionem pertinent*, & *regia* & *sacerdotalis defendat authoritas.*

Patrum autoritate si contendendum sit, en vobis Augustinum & Nazianzenum retractantes

tractantes nimiam quam erga hæreticos suaserant lenitatem, Aug: lib. ret: 2. Naz: Epis: 77. Olymp. Cyril: vero de adoratione, lib. 8. postquam meminerat legis Mosaicæ statuentis ut morte moriatur, qui furatus fuerit aliquem ex filiis Israel, addit: τὸν αὐτὸν τρόπον οἶμαι, οἱ τοὺς ὀρθὰ φρονεῖν ἑλομένους καὶ τὸν ἐλευθέροις πρέποντα βίον ἐπιτηδεύοντας, ἐπὶ τὸ σφίσιν αὐτοῖς ἀνοητότατα δοκοῦν, πολυπλόκοις ἐννοιῶν ἀπάταις ἀποκομίζοντες, ληστείας εἰκότως τῆς ἐπὶ ψυχαῖς ἀνθρώπων, ὑπομενοῦσι· ποινὴ ἔσται αὐτοῖς ὁ θάνατος.

Horrendum hoc & informe Politicorum monstrum, quod Scripturis confecimus, Humanâ quoque ratione (nisi vires sumeret a pertinaciâ) angi strangularique potuisset. Quid enim absurdius est, quam Deum præfectos suo nomine constituisse, qui terrenas Controversias deciderent? Quod verò longè gravioris erat momenti prætermisisse ut ipse purè coleretur ex legis suæ præscripto. Ecquis e prophanis Scriptoribus de Magistratuum officio, de ferendis legibus & publico statu disseruit, qui non exordium faceret a religione & divino cultu? quo tacitè confitentur nullam politiam posse constitui, ni prima cura sit pietatis, & præposteras esse leges,

quæ

quæ neglecto Dei jure, hominibus tantum conſulunt.

Quod reliquum eſt (Viri Oxonienſes) deoſculemur filium, viam, vitam, veritatem, revereamur ſpiritum ducentem in omnem veritatem, ipſam veritatem diligamus lucentem, diligamus redarguentem, ut reformata religio, quam plantavit Deus, rigavit ſanguis Martyrum, in ſeram poſteritatem ſoboleſcat, & Academia, quam Hereſεων officinam appellant male-feriati domeſtici, apud exteros æquos rerum æſtimatores audiat Veritatis lima, purioris Theologiæ Sacrarium.

Hæc habui dicenda non verborum lenociniis, ſed remedio Amoris, quæ ne nulli vobis ſint uſui, precibus ad Deum revertamur, &c.

ERRATA.

Pag.1.l.10.r.*facilem* p.2.l.7.r.*danſa* p.5.l.9. r.*διδασκαλίας* p.6.l.16.r.*ζύμη* p.9.l.16.r.Oracula p.11.l.8.r.ϗ.p12. l.8.r.*errorum*.p.15. l.3 r. *clericos* p. 19.l. 21. r. *ſuos* p. 21.l. 11.r. *tranſmarina* p.35.l.14.r.*Hyperaſpiſtes*.

FINIS.





Lectori S.

PRODIIT non ita pridem meo nomine libellulus, in quo sententiam Patrum & Scholasticorũ de naturâ mali privativâ argumentis non evertendis evici; præfatione autem longiusculâ illud palam feci, Arminianorum placita a doctrinâ in Ecclesiâ Anglicanâ recepta admodum abhorrere. Istum tractatulum *pauculis guttis mollioribus* (ea enim est viri nasutuli Metaphora) aspersit Tileni Hieraspistes.

Inprimis valde stomachatur, quod authorem anonymum me ne verbulo lacessentem, sed in celeberrimos Theologos, qua nostros, qua transmarinos, impotenter debac-

chantem, *Æthiopem* appellaverim; ego neſcio an omni culpa vacem, *qui hominem neq; quoad dentes album*, iſthoc titulo dignatus fuerim; quo alio nomine reprehendi debeam nondum video: quæ enim Synodo Dordracenæ adſcripſit maleſana dogmata, ea non ex ipſius actis hauſta & excerpta, ſed partim è privatorum Theologorum ſententiis arrepta, partim è proprio ſuo cerebro nata & efficta fuiſſe probabit brevi Baxterus, quem ut magnis ſaltem inimicitiis inclareſceret, in arènam provocavit. Quæ vero in Examinatores Weſtmonaſterii conſedentes congeſſit contumelioſa, ea eſſe (quod unum regerit) ornamenta oratoria, nemo dixerit, niſi qui calumnias inter tropos & figuras annumeraverit.

2. Deinde Hiſtorica mea adoritur, primò retorquendo *ipſa fundamenta Eccleſiæ Anglicanæ a Presbyterianis eſſe diruta*; frontem vero tuam

am mi Tilene! illane,quam elaboravit conventus Weſtmonaſterienſis, *Confeſſio fidei*,diruit fundamenta ulla a primis reformatoribus jacta?citius è pumice aquam exprimas, quam è confeſſione iſta apicem doctrinæ elicias, quem communi calculo non approbaſſent veteres illi Heroës· Eorundem de regimine Eccleſiaſtico ſententiam ſi tuis ardelionibus favere credas,toto aberras cœlo ; neque enim vel Epiſcopum Presbytero ordine ſuperiorem ſtatuebant, vel ordinationes a meris Presbyteris factas inſolentius damnabant : Sed pergat Tilenus, *Si doctrina Antiarminiana,ſit inEccleſia Anglicana recepta, tum vel illa quæ maſſam nondum conditam, vel illa quæ maſſam corruptam prædeſtinationi divinæ ſubſternit*: Apage nugas; Non ſolet Eccleſia Anglicana in myſteriis hujuſmodi explicandis vagari in eas quæſtiones,quæ nimia ſubtilitate popularem captum effugiunt, ac Scho-

lis

lis potius quam pulpitis conveniunt; sed docuit, *ante iacta mundi fundamenta, Deum suos elegisse ad vitam æternam; docuit hanc electionem non ex prævisa hominum fide, sed ex gratuito Dei eligentis beneplacito processisse: Docuit quicquid in nobis boni salutiferi reperitur, id huic gratuitæ misericordiæ in solidum deberi*: Quod profecto erat arcem causæ Neopelagianæ invadere. Secundum argumentum, quo persuasum nobis vult opiniones Antiarminianas non esse dogmata Ecclesiastica, sed problemata Scholastica, desumitur a nobilissimi Burlæi testimonio, quem ait vehementer improbasse quicquid definitum erat Lambethę: quumque ea legisset, *quicquid gereretur rerum humanarum, bonum id malumve esset, constringi lege immutabilis decreti, ipsis quoque hominum voluntatibus hanc impositam necessitatem, ut aliter quam vellent, homines velle non possint*, Exclamasse, præ-

sene

ſente regina Elizabetha: *Hæc ſi vera ſunt, fruſtra ego aliique fideles majeſtatis tuæ miniſtri, quid in re quaque opus ſit facto, quid ex uſu fututurum ſit & regni & tui ſuſpenſa diu verſamus conſilia, cum de his quæ eveniunt neceſſario ſtulta plane ſit omnis deliberatio.* Sed unde fidem faciet illa Burlæo excidiſſe? ex Hiſtoria Lambethana, quam publici juris fecit ignotus rabula, idemq; author furis Prædeſtinati. Quiſquamne vero hominum ei credat? qui pro verecundia ſua comminiſci non erubuit Whitakerum *incautius ſuas opiniones imbibiſſe, eo quod affinitate delapſus erat in familiam Genevenſibus magiſtris addictiorem:* Whitgiſtum *vero Archiepiſcopum Cantuarienſem etſi* Whitakeri *dogmata minime probabat, facilitate tamen, & metu diſcordiæ, cum ſuam probare aliis non poſſit, factum eſſe ipſum alienæ ſententiæ acceſſionem?* Verum concedamus ex mera quadam liberalitate

litate Burlæum talia loquutum, quid inde inferes Tilene? Ecclesiam Anglicanam cum Calvino in quinque Articulis, non facere? quam hoc nullo modo sequitur? idem ille Burlæus, aliique reginæ a secretioribus consiliis *Whitgiftum* acriter perstringunt, quod *non conformes* durius tractaverit: ergone mihi licebit concludere, nullas ad Ecclesia institutas fuisse Ceremonias. Serenissimus certe Jacobus adeo sibi non metuit ab Articulis Lambethanis, ut eos confessioni Hybernicæm immisceri sustinuerit, & Arminium Contrariorum Dogmatum patronum, Divinæ gratiæ hostē & pacis civilis perturbatorem pronunciaverit: nec indignus est qui hac de re audiatur Samuel Wardus *S. Th. Dr.* & *D.* Margaretæ Professor longe meritissimus, Concione de gratia Discriminante *p.* 354, 355. "Illud vere adjicere possum, plus uni Augustino jam veterano, & in ista "causæ

Vid. *Ful. Hist. lib.* 9. *p.* 145

"causa versatissimo tribuendum
"esse, quam centum Corvinis, Gro-
"tiis, Vorstiis, Bertiis, Tilenis, & id
"genus recontioribus Dogmatistis.
"Accedat & illud Augustino sem-
"per adhæsisse hac ex parte Eccle-
"siam universalem ab ejus tempo-
"ribus, Ecclesiam item Anglica-
"nam ab initio reformationis, &
"celeberrimam hanc nostram Aca-
"demiam, omnesque, qui exinde a-
"pud nos Theologiæ cathedras
"occuparunt, si unum excipiamus
"exoticum Gallum: unum, in-
"quam, qui vigilantia majorum
"nostrorum, & authoritate amplis-
"sima Reverendissimi Archiepis-
"copi *Whitgifti* cathedræ suæ re-
"nunciare coactus est. Tandem
ut amico suo omnem eximat scru-
pulum, hunc in modum disputat Ti-
leni larva: "Si in nulla Ecclesia obtine-
"rent Contraremonstrantium dog-
"mata, tũ certe in Belgica, at non in
"illa, ergo in nulla. Minori suam as-
serit

ferit veritatem è teſtimonio Arnoldi Poelenbergii in Epiſt: Dedic. ad confutationem diſputationis inauguralis Spanh : hoc vero argumentum ita futile eſt , ut neſciam ſerióne an joco diſputet. Adeone Anglos ſuos ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς ſideratos credit Tilenus, ut velint uni Poelenbergio Paſtori Eccleſiæ Remonſt. Hornanæ fidem adhibere , contra confeſſiones publicas, contra omnium, qui Conciones in iſtis Eccleſiis audiverunt, experientiam? Reſpondeat ipſi Poelenbergio Poelenbergius in dedi: epiſtolicæ diſſertationis: “ alii dicunt, concionatores adverſarios nunc eſſe magis quam antehac moderatos , aut in hac illave civitate moderata ingenia non deeſſe : at quid minus veriſimile eſt ? cum hactenus vigeat decreti Dordraceni rigor , cum omnes eidem decreto manu ſua ſubſcribant, cum hoc ſubſcribendi jugum omnibus etiamnum contra Dei verbum im-

ponatur

" ponatur. Olim illi non tulerunt
" conservos suos diversum a se in
" Prædestinationis dogmate senti-
" entes : an nunc ferendos statu-
" unt ? olim illi conservos suos ad
" subscribendum suis placitis adi-
" gere voluerunt: an nunc non adi-
" gunt ? Immo vero adigunt, &
" ubiq; quidem ; adeo ut, siquis
" ipsorum nunc subscribere de-
" trectaret, exploderetur illico, non
" minus quam olim explosi sunt
" nostri: quod ex illo ipso, cui sub-
scribunt, Synodi istius decreto con-
stat. Sed & ex eadem Epistolâ alia adscribere non pigebit, ad præsens negotium non spectantia, sed Generosis nostris, qui diebus Dominicis domi desidere solent, profutura. Est
" & alterum quoddam homi-
" num genus, qui ad audiendas
" Conciones accedunt rarius: quod
" malum ex variâ origine proma-
" nat, aliis enim sua sibi negligen-
" tia nimium familiaris in causa est,

" quo

“ quo minus officium ſuū præſtent;
“ aliis Eccleſia Dei non ſatis hono-
“ ribus aut mundi opibus ſplendere
“ videtur; aliis ſapientiæ cujuſ-
“ dam propriæ typhus obrepſit, qui
“ exiſtimant ſe fructuoſius horas ſu-
“ as domi collocare poſſe, quod nec
“ ſemper verum eſt; & ſi ſit, ta-
“ men propter communem ædifi-
“ cationem tantillum temporis diſ-
“ pendium pro lucro eſſet deputan-
“ dum. Retulit mihi nuper vir
“ quidam gravis & fidei ſpectatæ,
“ ſibi quondam, cum peregrinati-
“ onem Heidelbergam ſuſcepiſſet,
“ ab hinc annis circiter quadragin-
“ ta quinque, familiaritatem ibi in-
“ terceſſiſſe, cum Dionyſio Gotho-
“ fredo, clariſſimo illo juriſconſulto
“ qui notis ſuis eruditiſſimis Corpus
“ juris illuſtravit: is vero quum
“ aſſidue ſine ulla intermiſſione au-
“ diret concionatorem Eccleſiæ Gal-
“ licanæ valde imperitum ac pro-
“ pe ineptum, rogatus quemad-

modum

" modum ipſe vir doctiſsimus ho-
" minẽ ineptiſsimum jugiter audi-
" re poſsit, a quo nec diſceret quip-
" piam. nec ulla ſuada alliceretur;
" Reſpondit ſe frequentem adeſſe,
" non tam ut ipſe diſceret ex eo,
" ex quo nemo aliquatenus peri-
" tus diſcere quippiam poſſit: ſed
" ut pro ſe aliquid in commune ad
" Eccleſiæ ędificationem conferret;
" quod quidem illi ita ex voto ſuc-
" ceſſit, ut ipſius exemplo excitati
" homines, frequentes concionibus
" illis intereſſent, quas alioqui for-
" taſſis audire noluiſſent, pluſq;
" ille vir clarus ad cœtus celebrita-
" tem frequentiamque conferre vi-
" ſus eſt, quam Paſtor ille qui con-
" cionando vix ulli, ac forte nemi-
" ni placebat niſi per ipſum. Vtinam
" ad Gothofredi exemplum om-
" nes eruditi aut ſpectati viri pro
" ſuâ parte ſedulo allaborarent, ut
" Eccleſia, quæ eſt Domus viventis
" Dei, auditorum concurſu & ſtu-
dio

" dio audiendi verbi Dei quotidie
" magis magisq; accresceret : tunc
" certe propter ipsos nomen domi-
" ni glorificaretur in populo Dei?
" Nunc vero quantus est fastus in
" quibusdam hominibus, qui supra
" vulgus sibi sapere videntur? qui
" optimos Concionatores vix ferunt,
" mediocres despiciunt; atque adeo
" interdum in sermonibus suis co-
" ram imperitâ plebe rogati, cur in
" audiendis sacris concionibus tam
" infrequentes sint, audent palam
" dicere, non adeo necessarium vi-
" deri ut Conciones audiantur. Sic-
" cine vero ædificabitis domum
" Dei? itane praxin Ecclesiæ uni-
" versæ, quæ omni anteacto ævo
" congregata fuit, vestra protervia
" conculcabitis? adeone vestra illa
" vos dementavit sapientia, ut om-
" nes sanctos Martyres, & ipsos A-
" postolos, & Christum Apostolo-
" rum Ecclesiæque Dominum sto-
" liditatis arguatis? equidem ego
insipiens

"insipiens audire malo, quam cum
"his sapere.

Talis cum sit, utinam noster esset, at cum eo devenerit audaciæ: ut neget posse *Remonstrantes integra conscientia cum Contra-remonstrantibus vel congregationis, vel Synaxeos communionem colere*, idq; quia Sabbathum Christianũ sanctificant, non invidemus Poelenbergium Arminianis. Olim Dominicum servasse erat characteristica nota Christiani, non Judæi. *Ideo autem Dominicus appellatur, ut in eo a terrenis operibus, vel mundi illecebris abstinentes, tantum divinis cultibus serviamus.* Aug. de tem. Ser. 51.

p. 99. Dominicũ servasti? Christianus sum intermittere non possum.

3. Metaphysicam meam (quam vocat) Theologiam aggressurus, præfatur M. Peircio *nunquam in mentem venisse asserere omnia peccata esse positiva, certe non illa quæ in Omissione sita sunt.* ain verò mi Tilene? pedem hic figamus paulisper, qui

dicit

dicit Deum *creaturas ſuas ob priva-*
*Aut. p. *tionem, quæ nihil eſt, non poſſe dam-*
145. *nare*, is alterutrum fateatur ne-
ceſſum eſt, aut omiſſiones eſſe po-
ſitivum quid, (aut quod magis hor-
rent aures Chriſtianæ) neminem e-
156. as propter a Deo damnandum. Qui
dicit *crudam involvere contradictio-
nem, ut illud non ſit poſitivum, ad quod
deſtruendum revelatus eſt Chriſtus*, is
ſtatuit peccata Omiſſionis eſſe po-
ſitiva, niſi (renitente ſacra pagina)
dicat veniſſe ſervatorem ad ſola
Commiſſionis peccata deſtruenda.

161. Qui pronunciat *poſitivum eſſe de-
bere, quod animam polluit*, is Omiſſio-
nibus poſitivam entitatem adſcribit,
niſi Omiſſionibus pravis (reclaman-
te fidelium omnium ſenſu) conſci-
entias coinquinari neget. At nolo te
conſequentiis premere en verba di-
ſerta, *p.* 161, *Eadem eſt ratio in om-
nibus aliis peccatis, præcipue in iis quæ
commiſſionis ſunt.* Non contentus
Peircium tuum officioſo mendacio
purgaſſe

purgasse in calce anotationum tuarum adiicis *me mei oblitum in tuam concessisse sententiam, ubi illa scripsi primæ inobedientiæ Angelicæ causam fuisse (eo modo quo causalitatis potest esse causa) voluntatem Angelicam. Sed actionis cui inerat inobedientia causam per se, inobedientiæ ipsius causam per accidens & per concomitantiam.* Advoces Tilene omnia pigmenta, omnes dolos, omnes præstigias, nunquam manifestum facies quicquam in scriptis meis occurrere quod hisce vel in speciem contradicat. Dato enim quod voluntas sit causa actionis liberæ (Addam si placet totalis) in suo genere ergone Deus ejusdem actionis non est causa in suo genere? qui istum in modum Oxonii philosopharetur risum junioribus deberet & solveret. at illud fortean male te habet quod antea meminissem cujusdam subtilitatis quam vrgere solent Juniores ubi audiunt actionem

dici effectum causæ efficientis. *viz. si sit effectus tum fit per aliam actionem & illa item per aliam, & sic in infinitum.* Ego eam non adhibui ut probarem actionem fieri a deo non ab homine sed ut innuerem actionem si propriissime loqui velimus non esse effectum vel causæ primæ vel secundæ sed potius causalitatem. ea subtilitas ne te amplius torqueat dico ex Suaresio *disp.* 18. *de causa pr. eff. p. mihi* 332. " si nomine effec-
" tus comprehendamus non solum
" rem productam, sed quicquid a
" virtute agentis emanat, sic conce-
" di potest actionem esse aliquo mo-
" do effectum agentis, cum sit de-
" pendens vel potius ipsamet de-
" pendentia ab illo, & ratio generalis
" est quia causalitas semper prove-
" nit a causa, & ideo licet non
" propter se causetur, concausatur
" tamen, ideoq; late loquendo sub
" effectu comprehenditur. Nec vero necesse est ut causalitas alia

cau-

cauſalitate cauſetur, aut actio alia actione fiat quia de ratione cauſalitatis eſt ut habeat immediatā habitudinem ad cauſam, & ſit quaſi medium aut vinculum inter cauſam & effectū". Reliqua quæ adverſus receptiſſimam diſtinctionē peccati materialiter & formaliter ſumpti excogitaſti deliria, ipſa per ſe faſtidium parient lectori.

Tandem Tilenus minitando prædicit Piercium (ad ejus enim nomen pueriliter alluſum eſt) argumentorum meorum refutatiotionem moliri. Ego vero iſtiuſmodi minas faſtidire doctus ſum & contemnere; probe conſcius non eſſe metuendum ab iſto adverſario cui ῥημάτων ποταμὸς νοῦ δὲ σταλαγμός, cui incumbit probare *Accidentis non eſſe Accidens*, *Privationem non eſſe abſentiam perfectionis debitæ ineſſe*, ut alia opinionum

pinionum portenta taceam. Siquæ vel ille vel alii (alios enim responsiones meditari inaudivi) in medium attulerint quibus non sit sæpe sæpius responsum ea statim ad examen revocabo. Sin Cramben millies coctam reponant, congrediantur cum iis (quod per me licebit) tyrones Academici qui nondum norunt quid sit temporis & orationis dispendium facere.
" Eorum dicta contraria (ut Augusti-
" *de civit. Dei lib.* 2. verbis utar) si
" toties refellere velimus, quoties
" obnixa fronte statuerunt non cu-
" rare quid dicant, dum quocunque
" modo nostris disputationibus
" contradicant, infinitum esset.

Vale Lector si prius illud exoras vero ut malis sancte vivere quam subtiliter disputare.

FINIS

Si-
im
i;
on
ta-
Sin
bo-
od
ici
bo-
re.
sti-
fi
ies
cu-
qs
bus
.
ras
am